



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

13 [i. e. 23] Facultas rationes, & computa videndi, & revidendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

de novo infeudandi, seu concedendi rationes, † & computa quorumcunque administratorum, hospitalium, confraternitarum, & aliorum locorum piorum videndi, revidendi, examinandi, approbandi, & reprobandi, omniaque alia, & singula faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quam præsentibus sit expressum, cum amplo, libero, ac generali, & speciali mandato, amplaque, & libera, ac generali, & speciali administratione omnium, & singulorum, quæ in præmissis occurrerent, aut aliàs quomodolibet occurrere possent: & si necesse fuerit, pro præmissis omnibus, & singulis, unum quoque, vel plures Vicarium, seu Vicarios, & locum tenentes propter illius absentiam, in ejus locum, aliosque foraneos loco sui substituendi, eumque, vel eos revocandi, toties, quoties sibi placuerit, & visum fuerit expedire: & in litteris Vicariatus debent testes rogati adesse, † sine quibus etiam cum signo secretarii tantum, uti scriptura privata, non probaret, *l. instrumenta, & l. rationes*, & ibi Paul. de Cast. num. 4, *C. de probat.* quia cum collatio sine testibus sit prohibita, & non faciat fidem, Rot. decis. 1, nu. 2, *de probat. in nov.* & Fastol. *caut. ult. dub. ult. num. 8* & eadem ratione, qua aliquid prohibetur, censetur etiam prohibitum omnino, per quod pervenitur ad illud, *l. oratio*, & ibi Bal. ff. *de spons.* & Rebuff. *pract. benef. de Vic. Ep. n. 13.* & ibi post n. 42. Quamplures, † etiam sunt Vicarii temporales, quia Principibus, Dominis, & Magistratibus secularibus, pro temporali jurisdictione exercenda constituuntur, & secundum morem

Provinciarum, & locorum Vicarii nuncupantur, ut in insigni oppido Cherii diocesis Taurinensis, in quo principalis iudex temporalis Vicarius appellatur, & de pluribus Vicariis temporalibus tradit Sbroz. *d. q. 3, à num. 44. usque in fin.* inter quos † Dux Sabaudia, qui est Vicarius perpetuus Imperatoris, & de sanguine Imperiali progenitus. Purpur. *in l. 1, nu. 633, ff. de offic. ei.*

Primo enim Carolus IV. Romanorum Imperator Amedæo consanguineo suo ex æta scientia, auctoritate Cæsarea concessit, quod omnes, & singuli sui, & sacri Romani Imperii vasalli, homines, & personæ nobiles, & ignobiles civitatum, & diocesium Sedunen. Lausanen. Maurianen. Augusten. Ipporegien. Taurinen. Gebenen. Tarantasien. & Bellicen. nec non diocesium Lugdunen. Matisconen. & gratianopolitanæ, in quantam eadem dioceses Lugdun. Matisconen. & Gratianopolitana in Imperio existebant, qui tunc erant, & in futurum forent, omnia homagia, fidelitates, subjectiones, & obediencias, ad quæ, & quas ipsi Carolo Imperatori, & Imperio tenebantur pro feudis, quæ tenebant ab eodẽ Carolo Imperatore, & Imperio, præfato Amedæo, & suis perpetuis successoribus, ipsius Caroli Imperatoris, & Imperii nomine, in eisdẽ diocesium, & limitibus eandem jurisdictionem, dominium, regalia, & superioritatẽ, prout, & quemadmodum ante dictam concessionem eidem Imperatori pertinere poterant, haberent, tenerent, & exercerent, eosdem Amedæo, & ejus successores in his Vicarium suum generalem constituendo: † decernendoque, quod omnes appellationes, quas à quibuscunque ad tribunal Imperiale interponi contingeret, ad eundem Amedæum vice ipsius Impera-